

feratione de Libertate indifferentiæ in Deo,
Typo Moguntino, vulgatâ.

PRÆMITTITUR

Approbatio Librorum B. RAIMUNDI LULLI.

Refert R. P. MARSAL in arte Brevi, in
Præfatione ad Lectorem, ut sequitur:

IN Bibliothecâ Regaliâ Conventûs S. LAU-
RENTII, en el Escorial de Madrid, inter
alios Libros LULLI Manuscriptos extat A-
pologia Doctrinæ Lullianæ, per DIMAM
MICHAELEM ELNENSEM, artium &
sacræ paginæ Doctorem, ad Illustrissimum
& Reverendissimum Dominum CASPAREM
DE CHYROGA Episcopum Conchensem,
& per HISPANIAM Inquisitorem Genera-
lem. In quâ Apologiâ habetur sequens Ap-
probatio Librorum LULLI. Patriarcha vene-
retus, quatuor Archiepiscopi, quatuor E-
piscopi, unus Abbas, duo Generales Ordini-
um, & quatuor Doctores, ex omni ferè
Christianitate, à toto CONCILIO TRI-
DENTINO selecti, approbârunt, decreve-
runtque, expurgandam esse quamcunque im-
probarionem Librorum RAIMUNDI LUL-
LI. Testis ocularis hujus approbationis est,
Agens causam LULLI in TRIDEN. CONC.
Doctor

Doctor JOANNES LUDOVICUS VIL-
 LETA, Canonicus Sarctæ Ecclesiæ Barchi-
 nonen. Apud Canonicum JOANNEM SE-
 GUI in vitâ LULLI, PALMÆ BALEARI-
 UM impressâ, Anno 1606. *Cap. II.* & lati-
 ûs apud ZEPEDAM in vitâ LULLI, BRUS-
 SELLIS impressâ, Anno 1664. & *Mut.* in
Chron. Majoric. Quam approbationem, con-
 cordi sententiâ, per relatos Censores decre-
 tam fuisse primâ die Septembris, Anni 1563.
 Testatur ipse Canonicus VILLETA in vitâ
 D. LULLI, Arti brevi Doctoris Illuminati
 præfixâ cum gratiâ & facultate R. D. Ordina-
 rii, & DD. Inquisitorum, impressâ BAR-
 CHINONE, apud CLAUDIUM BORNA-
 TIUM, sub Aquilâ forti, Magnificentissi-
 misque juxta, ac præclarissimis Dominis DD.
 I. LUDOVICO, & G. PAULO LULLIIS
 dicatâ, die festo D. CATHARINÆ, Anno
 1565. Secundus testis ocularis est P. HIERO-
 NYMUS NADAL Societatis Jesu, apud Pa-
 trem BULITXER ejusdem Societatis, in ap-
 probatione memorialis A. R. P. FRATRIS
 JOANNIS RIERA, Syndici Regni Balearis in
 Curiâ Romanâ, sacre Congregationi præ-
 sentati, in causâ pii Eremitæ, & Martyris
 RAIMUNDI LULLI, PALMÆ BALEARIUM
 impressi apud GABRIELEM GUASP, Anno
 1627.

Et, cùm exitus acta probent, probantur
 prædicta per Catalogum librorum prohibito-
 rum sacri CONCIL. TRIDENT. jussu SS. PA-
 TRIS

TRIS PII IV. factum, in quo non continen-
tur Libri RAIMUNDI LULLI, qui antea, ob
carentiam forè notitiæ, sententiæ definitivæ,
pro Doctrinâ Lullianâ, contra EYMERICUM
datæ, continebantur in Catalogo PAULI IV.
Anno 1555. creati. Neque amplius in Cata-
logis librorum prohibitorum ponitur aliquis
Liber LULLI, litigato Romæ hoc negotio,
tempore GREGORII XIII. & SIXTI V. ibi vi-
vente VASQUEZ, ut dicit p. I. *Quest. 133. Cap.*
4. sed permittantur, & liberè ab omnibus le-
gantur, doceturque publicè Doctrina ejus!
Imò in Catalogo Anni 1641. jubentur rejici
opera HENRICI CORNELII AGRIPPÆ, &
Lector monetur his verbis: *Monitum volumus*
Lectorem hujus Authoris, in Artem brevem Raimundè
Lullii Commentaria latere, sub Libro ejusdem Rai-
mundi Lullii, cui titulus est: Opera ea, quæ ad adin-
ventam ab ipso Artem Universalem scientiarum, Ar-
tiumque &c. Quare prorsus rejiciantur Commentaria.
Item separatim excussa &c.

Vides separata Zanzia à tritico: non ergo
timeas, quòd adhuc apud EYMERICUM era-
dicata non sint ficta Zizania, contra LULLUM:
sufficit, quòd ad examen vocatis omnibus per
Trid. Sess. 18. in decreto de librorum delectu,
& causa commissa delectis quibusdam PP.
Concilii, relatione factâ in *Sess. 25.* post huic
operi extremam manum impositam per dele-
ctos Patres superius relatos, præceperit San-
cta synodus, ut quidquid ab illis præstitum
erat, Sanctissimo Romano Pontifici (tunc

PIO

PIO IV. qui creatus fuit Anno 1559. & profecurus Concilium indictum à PAULO III. & JULIO III. suspensum toto tempore PAULI III.) exhiberetur, ut ejus judicio, atque Authoritate terminaretur, & evulgaretur. Factum est ità; & in divulgato Catalogo nullus liber LULLI continetur: ergo omnes sunt à vaticano fulmine intacti: ergo quæ LULLUM ante Catalogum TRIDENTINI ferire videbantur, non inficiunt LULLI Doctrinam. Quid quæso ampliùs egemus testibus singularibus? sufficit approbatio ista Generalis, & abrasio librorum LULLI, qui in Catalogum PAULI IV. per malevolorum artes irrepserant. Et quidem prædictis approbationibus confirmatur censura, quam in favorem Dni PETRIDEGUI; ac subinde librorum LULLI, dederunt sex Censores à Ss. SIXTO IV. Deputati, sicut refert, & ostendit noster RIERA, præludio 9. sui memorialis. Nam cùm janua artis prædicti PETRI approbata à Censoribus, utatur terminis Lullianis, & principiis, approbarent etiam totam LULLI artem, & Phrasim in libris LULLI obviam, & ab Eminentissimo NICOLAO CUSANO observaram, ex præludio 4. citati memorialis. Eousque ex P. MAR-SAL. Plura de scientiâ B. RAIMUNDI LULLI videri possunt in Libro, & Disputatione supra citatis.

* * *

De